

1978

M

433  
(12)









DE  
INGENIO HORATII  
P R O L V S I O



Q V A

ORATIONES  
IN GYMNASIO HALLENSI

A. D. X IANVAR. CI<sup>o</sup>DCCLXXV


HABENDAS

MORE MAIORVM

INDICIT

M. CHRISTIANVS DAVID IANI

CONRECTOR.



HALLAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS FRIDERICI WILHELMI HYNDTII

38  
GYLEK. HALLA  
Uncutlig  
THE  
BOOKS  
OF  
THE  
UNIVERSITY

1630

In prologone mea de moribus Horatii p. 6. lin. vlt. delendum est vocabu-  
lum: adductus.



Kapsel 78 M 433 [12]

AK

9.97





**Q**uanta vis esset moram animique ad regendum ingenium conformandumque, cum nulla memoria dubitarum est, tum nos in prolusione ea, qua anno superiore natalem *CCIX* Gymnasii nostri indicebamus, attingimus, polliciti, nos, cum ibi *DE MORIBVS HORATII* exposuissimus, alia, si qua daretur, occasione ad illius *INGENIVM* breuiter describendum esse vsuros. Quam occasionem hodie nacti, penicillum, quem ibi ponere iubebat tabulae angustia, resumimus, ad perficiendam primi vnicique inter Latinos poetæ lyrici picturam, vt, si quauis alia virtute careat simulacrum, eo certe ne pictoris inertis manum prodar, quod medium opus deseruisse videamur.

Quare, vt recte intueamur animo *HORATIVM* nostrum, recte perficiamus inceptam illius imaginem, recte inferamus in tabulam nostram vniuersum illius vultum, non solum, ingenium  
A 2 Flacci



Flacci quomodo ex illius animi morumque natura tamquam fonte fluxerit, et quomodo viriusque lineamenta conspirent, obseruare nos oportebit, sed etiam, quae Horatii ingenio propria fuerint, diligenter accurateque cernere. In quo quin recte a nobis fiat, dubium esse nemini potest, qui cogitarit, naturam, ut ait *Boelaus* *secundam ingeniorum excellentium matrem, varie dispersisse animi dona suis liberis*; illam, ut solebat *Klorzius* dicere, aliis *Homeri* tubam, aliis *lyram* *Pindari*, aliis *Theocriti* calamos, elegiacam *Nafonis* dulcedinem aliis concessisse. Quod enim in pictoribus videmus accidere, ut habeat quisque, quod et *lubentius* et *felicius* perficiat; ut tributum esse suum cuique opus videatur, in quo vel venustate ac gratia, vel maiestate, vel virtute alia ceteris antecelleret; idem, in dotibus poetiis distribuendis, natura seruauit, ut suum cuique esset carminis genus, in quo excelleret, in quo feliciter et cum laude elaboraret, quo relicto, ne turpiter se daret, esset periculum. *Tibullus*, elegantissimus homo atque in elegia princeps, quam *iciumum*, quam *exilem* edidit panegyricum in *Messalam*! Summus omnis memoriae orator quam miserum, quam inertem poetam se prodidit! Quare nos in describendo ingenio *Horatiano*, quae illius propriae fuerint dotes, eaeque dotes quem colorem ex morum ac vitae ratione acceperint, diligenter in primis videamus.

*Primum omnium* illud facile intelligitur, quomodo factum sit, ut hominis tam iucundo tam facili hilarique ingenio praediti, qualem *Horatium* in priori illa nostra prolusione cognitum iudicauimus, huius ut carmina tam suauis ac naturali cursu defluerent, tam facili cultu exsplendescerent, tanta venustate orationis ac gratia eminent. Quod ita esse, non est, quod dicamus diligentibus illius atque ad pulchrum videndum acutis lectoribus; ceteris dicere nihil atinet. Sed fuerunt, praeter morum indolem, alia etiam, quae tantam operibus *Horatianis* tribuerent venustatem, quae, ille ut exigeret monumentum aere perennius, facerent. Numquam (nam sic non vnum, plurimos haberemus *Horatios*) numquam sola id morum natura effecisset, nisi *Flaccus* ipsum illud a natura diu-

Art. poet. I. 13.



num ingenium, ipsum illud os dulcia sonaturum esset nactus, nisi pulcherrima ac vere aurea Augusti aetate, nisi in elegantissima illius aula, nisi familiariter cum elegantissimis suae aetatis ingeniis vixisset.


Sed omnium maximam felicissimo illi ingenio ornamentum tribuebat acerrimum atque limatissimum de pulchritudine iudicium<sup>2)</sup>, cuius cum istis dotibus vinculo non poterat non summus ille, quem admiramur, poeta effici. Hoc magno confirmatoque iudicio, hoc recitissimo pulchri sensu, quo unus omnium maxime floret Horatius, temperabatur illa translationum in dicendo audacia, mitigabatur spiritus ille elatus atque igneus, de quibus deinceps dicemus. Hoc eodem insignis ille principatus continetur, quem principatum cum aliis suae memoriae poetis comparatus Horatius sibi vindicat. Ovidius, ut hunc unum in conspectum producam, quam facilis est, quam venustus, quam elegans! quam diuini, quam copioso ingenio! acumine quam subtili! Sed si iudicium spectemus, heu! quanto inferior Horatio! Equidem quoties Nationem lego, delector illius facilitate naturalique gratia. Sed numquam sic tenet me, ut non possim ex manu deponere. Pulcher est, sed immaturus. Quae ut vera esse appareat, sumamus in manus excellentissimum Horatii de Danaidum crimine atque Hypermetrae in Lyceum suum pietate episodion<sup>3)</sup>; tum, quomodo idem argumentum Ovidius<sup>4)</sup> tractauerit, videamus. Committantur, certent inter se duo summi poetae. Heu! quam iniquo Marte, quam varia fortuna! Profecto, quisquis comparare eos inter se cupiat, vel potius possit, facile videat, Horatius quam grauius, quam iuste, quanto cum iudicio scripserit, Ovidius contra quantum indulerit ingenii luxuriae, quanto plus copiam atque illecebras sermonis acuminisque subtilitatem, quam rectum pulchritudinis sensum sit secutus. Nihil hic excusationis Ouidio praebet diuersus a lyrici carminis natura elegiae color. Exprimendi enim sunt sensus, sensus iidem prorsus eiusdem personae, in eadem fortunae ac mentis quasi positione constitutae. Er-

A 3

<sup>2)</sup> Nostra aetas *gustum* appellat, *Geschmack*.

<sup>3)</sup> C. III. 11, 30, sqq.

<sup>4)</sup> Her. 14.



go videamus! *Me pater saevis oneret catenis, quod viro clemens misero peperci!* inquit apud Horatium Hypermnestra. Quanta in summa maiestate simplicitas! tum quam dulcis, quam languidus dolor! quam mollis misericordiae sensus! Quam accommodata personae ac tempori oratio! Contra apud Ovidium quam argute atque erudite Hypermnestra loquitur! *Me pater igne licet, quem non violauimus, vrat, (Iuppiter! docte acuteque) quaeque aderant facris, tendat in ora faces (hem intempestiuum lusum!) aut illo iugulet, quem non bene tradidit, ense* etc. Possuntne haec tibi placere, cum legisti semel in Horatio tuo: *me pater saevis oneret catenis!* Quam grauius haec, quam ex adfectu atque e re dicta! Hypermnestra deinde Ouidiana multis verbis narrat, quam anxie trepidauerit; idque eloquitur sex versibus, duabus comparationibus adhibitis. Narrat, quomodo deliberauerit secum de caede mariti, a versu 52 ad 66, in quibus Naso plane intolerabilis est, Hypermnestram politice et oeconomico argumentantem faciens. Tum, postquam Lyncei expergesfacti seque iactantis manus *prope saucia facta erat telo puellae* (*negligens* admodum exilis!) illum ea tandem adloquitur: *Surge age Belide* etc. Horatius sapienter rectissimoque iudicio haec omnia omittit; dicit iam nunc debentia dici, atque in medium statim factum deducit lectorem. Non deliberat puella; iam enim ceperat consilium amor. *Surge, ne longus tibi somnus datur, vnde non times.* Quam molle ethos in his! — Deinde: *Il pedes quo te rapiunt et aurae, dum fauet nox et Venus, i secundo omine!* Quam flebile, quam dulce pathos spirant haec! Inprimis repetitum illud *I* nescio quo dulci moerore perfundit legentes, atque ad certamen adfectuum exprimendum mirifice compositum est. At quomodo Ovidius? *Surge, age, Belide!* mihi quidem nec placet illud *age*, nec, quae sequuntur: *nox tibi, ni properas, ista perennis erit.* Puella enim non flet, non gemit, non monet, sed minatur, arceat, expellit. Ipsa illa erudita appellatio, *Belide*, dolori non apta est. Apud Horatium erat: *Surge, surge!* ipsa timebat nomen amatum eloqui. Id nonne pulchrius? Deinde apud Nasonem est: *Dum nox finit, effuge!* Sane breuiter satis et frigide! imo, satis prolaice! Sed sic est Ouidii ingenium, saepe rerum et sermonis copia abundantissimum, ubi non debebat, aridum contra ac frigidum, ubi

ubi debet vehementius efferuere. Denique apud Horatium rogat puella: *nostri memorem sepulcro scalpe querelam*. Qui luctus! qui miserabilis moeror! Audisne singultu lacrimisque oppressam orationem? Sed Ouidii Hypermnestra multis idem verbis orat, atque animo est satis tranquillo ad suum sibi ipsi epitaphium componendum, idque argutum ac nitens antithetis. Denique non dolor aut luctus, sed pondus catenae, sed timor irae paternae, eius loquacitatem opprimit; alioquin *libet* plura scribere. Nihil dico de vniuersa epistolae forma, quae cum multis verbis Lynceo enarrat omnia, quorum ipse pars magna fuisset, non potest fieri, quin ad multa lector subrideat. En! quanto superior Horatius ex hoc certamine discedit! Sed nos ad reliqua veniamus.

Faciles perspicuasque habent imaginum conceptiones homines, qualem Horatium cognouimus. Hoc in ipso maxime elucet. Nam ingenii sermonisque poetici copia prorsus admirabilis in eius carminibus cernitur. Quanta in illis varietas, quantae diuitiae exsplendescunt! Quam elegans saepe, ubi rem simplicissimam et communissimam instituit eloqui, pictura exit! Veluti, exprimere cupit hoc: *seu moestus omni tempore vixeris, seu laetus!* Laeta vita illi et iucundior erat et familiarior notiorque, quam tristis. Igitur sub eius manibus statim exoritur parua pictura: *seu te in remoto gramine per dies festos reclinatum beavis interione nota Falerni* 5). Dabo aliud. Vt ipsum Catonem interdum ex vino vacillasse dicat, *narratur*, inquit, *et prisca Catonis saepe mero caluisse virtus* 6) h. e. Cato, feuerus ille alias ac frigidus asperae virtutis cultor saepe mero incaluit. Sentisne fecunditatem venustatemque loci? Item quid elegantius loco illo de captiuis regibus: *Mox trahitur manibus regum fortuna retortis* 7) i. e. trahuntur reges, quorum tam lacrimabilem saepe exitum habet fortuna ac dignitas. Alio loco non minus ornate dicit *ducta per vias regum colla minantium* 8). En ornatissimam, quae vno vocabulo continetur, picturam! Nonne iam collum quasi nudum ac demissum conspiciere tibi videris, iugo nunc subiiciendum aut ferro metendum? Alio loco, vt exprimat, se non cupere *opum magnificentiam*, pro opibus vniuersis enume-

rat

5) C. II. 3, 6.

6) C. III. 21, 22.

7) Epist. II, 1, 191.

8) C. II. 12, 12.



rat segetes, armenta, aurum, ebur, vasa opulentā. Tum denuo ornat hanc enumerationem, ponens *notiones speciales*, segetes Sardiniae, armenta Calabriae, ebur Indicum; item pro ruribus opulentis illa Campaniae, Campaniamque iterum periphrasi exprimens, sumta a Liri flumine. Item, illud, se apud omnes gentes, remotissimas etiam, celebratum fore ac notum, sic ornat, ut commemoret Bosporum, fyrres Getulas, campos hyperboreos, Colchos, Dacos, Gelonos, Iberos, Rhodani potores (i. e. Gallos); sic ut varietas etiam infit in his: *visam, me noscent, me discet*. Plura eius generis dedi in Arte Poëtica latina 9). Sed ipsas has ingenii diuitias sapientissime administrabat idem illud subtile atque eruditum, quo excellebat Flaccus, iudicium, ut vel hoc vno summum se poëtam ostenderet. Veluti, in grauissimo illo loco 10): *si factus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae*, quam paucissimis vtitur verbis; nulla ibi ornamentorum coaceruatio, nulla orbis, aut caeli, aut ruinarum ampla descriptio; sentiebat enim poëta doctissimus, talia maiestate huius argumenti plane indigna fore. Nationis certe inexhaustum ingenium vix potuisset hoc loco amplificandi cupiditati resistere. Flaccus poterat.

Sed in primis etiam copia ingenii Horatiani cernitur in *digressionibus*, quibus sua ornavit carmina. Digressiones sunt, cum vel ornatus vel delectationis gratia, a materia instituta in aliam, cum argumento praesenti adfinitate quadam coniunctam, excurrit poëta, siue allectus pulchritudine argumenti illius alieni, siue argumenti eius, quod in manibus est, sterilitate coactus, aliunde petere, quo illius inopiam expleat. Est autem illud argumentum alienum vel locus communis, ut cum Flaccus Virgilio suo navigationem felicem apprecatur, inuehitur in audaciam hominum, cui nihil arduum est 11); vel locus ex historia aut fabulis, veluti historia *Reguli* 12), item fabula de *Europa* 13), ac de *Danaidibus* 14). In his digressionibus summa Horatiani ingenii vis cernitur; exortae enim sunt ex vbertate mentis, phoebeo ardore, cui maxime in carmine lyrico locus est, abreptae. Id eo monere solemus diligentius, quod definire cupimus imperitos quosdam homines ac sensu carentes, id

9) p. 503. 10) C. III. 3, 7. 11) C. I. 3, 9 12) C. III. 5, 13 13) C. III. 27, 25 14) C. III. 11, 25

id vitio dare summo poëtae, in quo summa carminum eius virtus inest, ac vere lyrica pulchritudo, in quo eam inesse fenserunt illustrissimi nostrae aetatis poëtae lyrici, in quo eam inesse vidit *Ramlerus*, Germanae fidicen lyrae, cum scriberet carmen excellentissimum ad malum punicum; item illud ad hostes regis.

Fuit Horatius, nam ad aliam ingenii eius partem accedimus, natura ad ignaviam negligentiamque quamdam propeasus: vixit idem in aula. Sermonem aulicum constat cum urbanum esse, politum, elegantem, tum vero etiam illaboratum, atque a seuera scholae dispositione ac subtilitate dialectica prorsus alienum. Ad hanc politiorum hominum consuetudinem quin se composuerit ingenium Horatii, quod iam natura ad eandem ferretur, eo minus dubitari potest, cum vnice ille amaret Maecenatem, atque ab illo vnice redamaretur, qui magnum haberet, sed idem molle atque disinctum ingenium <sup>15)</sup>. Sed haec ipsa libertas, qua Flaccus vsus est, multos ita laesit, vt vel cum *Heinsio* ac *Sanadonio* penitus perturbarent diuina illius carmina, quod illi appellabant *in ordinem redigere*, vel Horatium confusi ingenii hominem dicerent fuisse, qui verum carminis exitum saepe oblitus sit; in quibus, praeter multos, video fuisse bonum *Stollium*. <sup>16)</sup> Verum o miseros atque imperitos homines! qui e grammaticis praeceptis atque e dialectica subtilitate iudicare de summis poëtis audeant. Nesciunt hi, accensum poëtae atque agitante deo calefcentem animum nihil morari, nihil retinere, omnium minime grammaticorum supercilium. Nesciunt, magnum neminem esse poëtam posse, cuius *frigidus circum praecordia sanguis* seruitutem amet. Nesciunt, Horatio acutissimam fuisse ac verissimam iudicandi facultatem. Nesciunt, eum Romae atque Athenis liberalissime eruditum. Nesciunt, multum eum curae, multum laboris carminibus suis impendisse; eum non, vt quidam e nostris hominibus solent facere, festinasse ad illa in vul-

<sup>15)</sup> Cf. Proluf. de *moribus Horatii*, p. 6.

<sup>16)</sup> Hist. lit. I. 7. §. 51. Omnino multos habuit omni memoria Horatius obtrectatores, atque in his magnos et spectatos homines. Verum etiam defensores doctissimos contra illos est nactus. Sic *S. aligeri* vituperationes, hypercritico infertis, solide eleganterque ab eo repellit *Bernardin. Parthenius*. *Spilembergius*, cuius *commentarius Horatianus* rarissimus prodit Venet. 1784. 4. item *Fossius* de poët. lat. p. 29. Sic *Harduinum* debellauit *Klosius*.





vulgus edenda, sed nonum in annum pressisse, retractasse, expoliuisse. Nesciunt, habuisse amicos eruditos, eosdemque operum suorum candidos iudices, Tibullum, Virgilium, Varium, Plotium, Asinium Pollionem, Messalam Coruinum. Nesciunt, summam fuisse ea aere studiorum contentionem, aemulationem, celebritatem, praestantissima illis adiumenta atque amplissima praemia fuisse proposita. Nesciunt — immo nesciunt omnia. Profecto enim, si quis vere *possit* Horatii carmina legere, non dialecticam, non grammaticam aut rhetoricam, at excellentissimam atque artificiosissimam esse eorum dispositionem intelligat. Cogitat Venulinus poeta, cogitat tamquam philosophus; sed tamquam is, qui simul poeta sit, qui in aula viuat, qui cum Maecenate.

Erat Horatius ex eo hominum genere, quod facile viuidas imagines concipit, facile calet sensibus atque adfectibus; sed quod idem, est enim mutabile, non diu seruat istum calorem. Praererea mollis erat natura, ignauus, atque ad voluptatem propensus. Ex his fontibus non dubito omne eius *ingenium lyricum* deriuare. In poësi lyrica vniuersa dominatur *sensus* vel gratus, vel ingratus, isque vel vehementior vel lenior. Quare duo illius genera sunt, vnum *sublime*, *mollo* alterum ac *placidum*. Illius prima dos in maiestate cernitur, huius in suauitate. Illud genus, furore quodam correptum *feruet*, *immensoque profundum ore ruit*, audax, effrenatum ac prope indomitum est in troporum usu, splendidissimum item figuris atque epithetis. Alterum genus lusu, ioco, suauitate, gratia, mollique inertia plenum est. Vtrumque genus mediocrem carminis longitudinem postulat, quod, vt ait Cicero, *incendia animorum celeriter restringuntur*. Flaccus igitur noster ad hoc poëseos genus prorsus natus videbatur. Neque minus intelligitur facile ex iis, quae commemorauimus, cur optime illi successerint carmina mollia ac suauia, cur raro concitetur, raro spumet ac mugiat, sed tamquam purus riuus atque argenteus cum facili incundaque suauitate plerumque decurrat. Omnino maxime audacia atque furibunda, vt ita dicam, sunt quaedam eius carmina; veluti libri III carmen XXV, in quo (forsasse solo) verus dithyrambi character vsque ad finem regnat; item libri II carmen XX. cet. Sublimia etiam sunt quaedam illius ac magnifica carmina, vt libri I carmen XII, item IV. 4. cet. Sed regnabat eius ingenium in iuendo ac suaui genere. Ipsa *tristitia* eius carmina <sup>7)</sup> non morosum

<sup>7)</sup> veluti I. 24.



atque immoderatum moerorem, qui animum conficiat exedatque, qualem fugere solent homines Horatio similes, sed mollem ac dulcem quemdam dolorem prae se ferunt. Multa eius carmina magnifice incipiunt, sed in iocum effrenatamque hilaritatem desinunt, quale est libri III. 14. In quibusdam ita non seruauit magnificentum sublinemque sensum, ut (erat enim homo) ipsum illud linatissimum illius iudicium obscurasse ignauia naturalis videatur. Quod illi accidit praecipue in duobus splendidissimis excellentissimisque carminibus, libri IV. 14, et libri IV. 4. quorum illius v. 14 — 16, huius v. 18 — 22. languidissimi sunt ac tenuissimi. Pluribus vtrumque locum in *Arte poetica Latina* <sup>18)</sup> examinaui. Grande et magnificentum carminis genus hominem natura tristem fere postulat; atque is profecto Horatius non fuit. Ipse *Pindarum imitari* maxima periculosum putabat <sup>19)</sup>, ipse *Pindarum* volanti per nubes cyeno, se api comparat <sup>20)</sup>, veritate coactus; ipse eadem de causa epico et paeneyrico carmini se non arbitratum idoneum <sup>21)</sup>; quod etiam profecto, aequae ac *tragedia*, eo minus illi potuisset succedere, quod sensus adfectusque constantes in vtroque genere regnant.


Ingenium hoc suum lyricum Horatius lectione Graecorum aluerat, Pindari, Sapphus, Anacreontis, et maxime Alcaei. Hos ita imitari et consequi studuit, ut quaedam etiam illorum carmina, quae ipsa perierunt, ante oculos habuisse, atque aut imitatione expressisse, aut transtulisse adeo animi causa videatur in faciendis quibusdam suis, ut in libri I. 14. 15 et 28. Neque mirandum est eadem de causa, cur illius carmina Graecis ita sint plena, qui praeterea poësi lyricae eo maiori ornamento sunt, quo illa exquisitiorem atque a communi ratione discrepantiorem sermonem sequitur. Ipse etiam, pro rei natura, grauitatem et nobilitatem Alcaei, sublimitatem et furorem Pindari, spiritum atque aestum Sapphus, molliem dulcedinemque Anacreontis admodum feliciter assecutus esse videtur. Sed fatendum est, eum plerumque his inferiorem fuisse; Anacreontem esse dulciorem, Pindarum audaciorem <sup>22)</sup>, et Graecos, cum in quouis litterarum genere, tum in hoc, suam sibi vindicare principatum.

Ad *satyram* ingenium Horatii prorsus excellenter erat compositum. Delectabatur risu et iocis, hilaris erat, neque magis alios inhumaniter laedere, quam se ipsum laedi cupiebat. Igitur ridenti similis improbitatem et vitia hominum accusat. Amicus est boni pulchrique, qui homines non odit, sed miseratur et ridet; cum Iuuenalis, atra bile incensus, ardeat, inflet, iugulet. Exponit generales vitae humanae imagines; raro speciales, idque non ut laedat quemquam, sed ut animet materiam. Nomina prope omnia ficta sunt, pauca vera, eaque hominum, qui iam famam perdididerant.

Rectissime *Sermones* inscripsit *satyras* suas; nam amice cum amicis confabulari ac iocari videtur; neque dolet, si quis vulnus accipiat. Igitur non habebant Lipsius et Scaliger, quod Iuuenalem illi praeferrent, morosum et asperum hominem; profecto enim in hoc genere non suae solum, sed omnium

<sup>18)</sup> p. 303. sq. <sup>19)</sup> C. IV. 2. <sup>20)</sup> ib. 27. <sup>21)</sup> C. I. 6. II. 12.

<sup>22)</sup> Cf. Franc. Blondelli *Comparaison de Pindare & d'Horace, dans les comparaisons des grands hommes de l'antiquité, par Rapin.* Paris 1673. 12. Amst. 1686. 8.



aetatum princeps fuit atque erit Horatius. In *numero* ac metro maxime libera est Horatiana satyra, abrumptur interdum in medio versu, interrogationibus ac responsionibus suspenditur, elisionibus hiat, monosyllabis in fine tardatur. Fuerunt, qui negligentiam, asperitatem et nescio quid appellerent eam numeri rationem<sup>23)</sup>. Sed prorsus imperitos hi sese praebuerunt elegantiae iudices. Profecto haec ipsa, si Diis placet, asperitas, maximam adfert Horatianis sermonibus venustatem; sic enim illaborati videntur, sic propius accedunt ad vitae sermonisque vulgaris consuetudinem. Igitur nouum hoc est argumentum delicatissimi iudicii, summusque etiam hac parte poeta maxime admirandus est ac suspiciendus<sup>24)</sup>.

*Sententia* vnus omnium suae aetatis poetarum maxime floret Horatius, in eoque genere plane eximius est. Hoc ipsum quoque illius vniuerso ingenio debetur, cum veritas viuidissime tangere ac ferire soleat homines ad sensum adfectumque recipiendum ita molles ac teneros, vt Horatium perpeximus fuisse.

*Denique* neque hoc alienum sit obseruare, Horatii ingenium magnam suae excellentiae suaeque laudis partem debuisse indefessae illi, quam tribuerit carminibus suis conficiendis, diligentiae. Nouam ingrediebatur viam, nemine ante tentatam, in eaque non maxima solum felicissimaque audacia<sup>25)</sup> sed indefesso etiam conatu incedebat. Neque illud mirandum. Homines enim illius similes licet ad ignauiam quamdam mollitiamque natura ferantur, tamen, si quid ipsos oblectet penitusque capiat, id acerrime sequi solent, id vnum amplecti, in eo summam suam felicitatem, in eo omnem operam omnemque laborem ponere, in eo non mediocrem aliquam laudem, sed principatum expetere, eumque si assequi sibi videantur, magnifice de se excellenterque sentire. En! ita sensit Horatius, ita fecit, ita summus poeta lyricus, ita immortalis est factus<sup>26)</sup>.

Sed liceat mihi nunc iucundissimo illo defungi officio, cuius causa haec omnia scripta sunt. Memoriam b. *Oelhasii* cras more maiorum orationibus, ab hora II in primae classis auditorio habendis, celebrabunt egregii tres Gymnasia nostri ciues. Cui cerimoniae vt splendorem tribuant honorifica sua praesentia, beneuolique adsint iudices, amplissimos GYMNASII PATRONOS, ceterosque bonarum litterarum FAVTORES etiam atque etiam rogo. Declamabunt vero

IO. GODOFR. THORMANN, Magdeburg. de *vera liberalitate*, germanice.  
 HENR. GOTTL. SCHELLENBERG, Saxo, de *praemiis liberalitatis*, germanice.  
 AVG. GOTTL. WEBER, Hallensis, de *memoria mortuorum colenda*, latine.  
 Denique ipse cum de *aurea poeseos germanicae aetate* germanice dixerit, vota pro salute publica faciam.

<sup>23)</sup> In his fuere Olaus *Borrichius* de poet. p. 49. 50. *Christ. Cellarius* diss. acad. p. 690.

<sup>24)</sup> Vid. plura in *Klotzji* lectr. Venus. et in *Arte poet. lat. p. 324.*

<sup>25)</sup> Vid. *Klotzji* libell. de *felici audacia Horatii*, et *lectr. Penuf.* p. 84.

<sup>26)</sup> Legantur *Serm. I. 10, 7-14. Epist. II. 2, 109-125. Carm. I. 1 extr. 32, 1-5. II. 18, 9-11. 20. III. I, 1-4. 4, 1-36. 13, 13-15. 25, 7. 30. IV. 9.*







VD 18


ULB Halle

002 185 040

3







DE  
INGENIO HORATII

P R O L V S I O



Q V A

ORATIONES  
IN GYMNASIO HALLENSI

A. D. X IANVAR. MDCCCLXXV


HABENDAS

MORE MAIORVM

INDICIT

M. CHRISTIANVS DAVID IANI

CONRECTOR.



HALLAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS FRIDERICI WILHELMI HVNDTII

38

GYMNASIUM  
Halle  
1875  
Uta Hing  
THEATRALIS  
SCHULE

1630

